



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

§. 1. Figuræ, & Symb.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79340](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79340)

TITULUS XIII.

AMOR CHRISTI IN NOS.

§. I.

Figure, & Symbola.

Immisit Dominus Deus soporem in Adam. Gen. 2. 21. Immisit & in seipsum, factus nimirum secundus Adam. Sanè soporem Christi solius charitatis fuisse nemo dubitat. S. Bern. l. 2. in Septuag.

Longitudo arca, est longanimis patientia Christi, quæ mala nostra sustinuit, & nos adhuc ad poenitentiam expectat. *Lattitudo*, charitas Christi, quæ patienter pro nobis persecutiones malorum portavit, & bona sua nobis beniguè communicavit. *Altitudo arca*, est Christi humilitas, quæ exaltari meruit. Hugo Cardin. in Gen. c. 6. Habet Dominus &c. Habet Dominus noster Christus animas sibi nimiam charitate conjunctas, quas in claro intelligentiæ, vel dilectionis suæ, meridiano lumine semper conservat. Ap. ponius l. 2. in Cant.

Ordinavit in me charitatem. Cant. 2. 4. Ex Hebr. *vexillavit*. Multiplices ique sapidi, possunt erui sensus. I. Vatablus vertit: cujus (sponsi) *vexillum erga me est dilectio*. Solent enim Duces vexillò post se trahere milites: ita sponsus sponsam amore, tanquam vexillò, ad se, suaque castra attrahit. Cornelius hic.

Sicut malus inter ligna sylvarum. Cant. 2. 3. Quæ laus, sponsum humili arbori comparare? cum de seipso, qui sapientia æterna est, dicat Ecclesiastici 24. 17. *quasi cedrus exaltat a summo*. Cur non his arboribus, sed parvæ malo, sponsum assimilavit? Fateor, ait S. Bern. parva laus, quoniam parvi laus. Non enim hoc loco prædicatur magnus Dominus, & laudabilis nimis; sed parvus Dominus, & amabilis nimis. Ergo non majestas attollitur hic; sed commendatur humilitas. Adde, etiam commendatur & charitas: nam sic Deus dilexit nos, ut humilis, & parvulus fieret, propter nos. Lud. de Ponte hic.

Erat, teste Pierio, l. 54. malus hieroglyphicum Amoris: eò quod jucundus esset pomorum ejus gustatus, & aspectus. Amores natos esse dicebant sub malo, sub ea lustrare amantes malis se petere, & donare. Unde paulo post sponsa subjungit: *spat me malis, quia amore langueo*. Cant. 2. 5. *Sub arbore malo suspiravi te*, id est, cepi te amare. Comparat ergo illum Malo, quia ex amore apparere voluit homo inter filios hominum; *sicut malus inter ligna sylvarum*. Quid aliud est Christus crucifixus, nisi viva malus, & vivum hieroglyphicum Divini erga nos amoris? totus enim ibi amorem spirat, suadetque, & spargit flammam amoris; ut ligna sylvarum arceat. Id. ib. Crucifixus inter latrones, malus inter ligna sylvarum, latrones in sylvis lateat. Id.

Egre dimini, & videre filia Sion. &c. Cant. 3. 11. Tropologicè S. Ambr. l. de Isaac & anima c. 15. per diadema accipit charitatem, quæ Christum coronavit, id est, undique cinxit, & replevit mater Christi, putà ipsa Charitas. Angeli, inquit, canunt epitalamium, perducta sponsa usque ad sponsi requiem nuptialem; & vocant cæteras cœlestes potestates, vel animas; ut videant charitatem, quam circa filias Jerusalem habet Christus. Unde & meruit coronari à Matre Filius Charitatis, juxta illud Apostoli: *Deus nos eripuit de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filii charitatis suæ*. Sic Theodoretus, & Nyssenus hom. 7. Hanc coronam dilectio contexit. Corn. à Lap. hic.

Regnabit in domo Jacob. L. 1. 32. Cur non in domo Abraham, Isaac, David? Jacob pro dilecta Rachel formam servi accepit; die noctuque, gelu, aestu, frigore, & calore, per multos annos urebatur. Gen. 31. 40. Perfecta hæc Christi figura, qui pro Ecclesia, & amore animarum nostrarum, formam servi, labores, suscepit. Hugo Card. in cit. c. Gen. *Videbantur illi pauci dies pre amoris magnitudine*. Gen. 29. 20. quia Christus brevia, & levia, reputavit, quæ pro electis sustinuit. *Cum dilexisset suos, in finem &c.* Jo. 1. 1. Il. 40. 28. *qui creavit terminos terre, non deficiit, neque laborabit*. Sylv. in Matth. 26. c. 5. q. 7. *Oculi ejus tanquam flamma ignis*. Apoc. 1. 14. Galfridus Abb. cont. 34. oculi ejus intentio ejus; quia autem charitas ignis, est nimietas charitatis; bonorum nostrorum non egens, subvenire nobis solò intuitu vehementissimæ charitatis intendit. Sylv. hic.

§. II.

Amoris Christi in nos intensio, & vehementia.

Ex Veteri, & Novo,

Ordinavit in me charitatem. Cant. 2. 4. Ordinare, verbum militare est, propriè significat aciem instruere. Unde sic explicat Gaspar Sanch.: instruxit contra me charitatem, tanquam aciem, vel exercitum vexillarum: ut hanc reddat sponsa rationem, cur non potuerit non amori succumbere: quod cœli sponsus amorem suum, five amoris signa, tanquam exercitum, contra illam instruxerit. Seneca l. 4. de benef. dicebat: neque enim necessitatibus tantummodo nostris provifum est: usque in delicias amamur. Dei videlicet Filius, non tantum in salutem, & utilitatem nostram, sed in delicias etiam exinanitus: ut, quidquid in se dulce, suave, & jucundum est, totum id humano gustui inferviret. Sap. 16. 21. *Substantia tua dulcedinem tuam, quam in filios habes, ostendebat*. Incert. Auth.

Media